



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Historia Ioannis Cochläei De Actis Et Scriptis Martini Lvtheri Saxonis

Cochlaeus, Johannes

Parisiis, 1565

Acta & scripta Lutheri, Anno Domini M. D. XX.

urn:nbn:de:hbz:466:1-29789

Vlricus Huttenus.

me vero incendebat animos, non modo Procero-
rum & Nobilium verumetiam Civium & Ro-
sticorum, Vlricus Huttenus, Eques Germanus,
vir & nobilis familiae, & acerrimi ingenii. Qui
& antea, prius quam Lutheri nomen orbi notum
esset, multa pro libertate Germaniae, contra pe-
sionum quaestus & citationum vexationes, quibus
Ro, curia Germaniam grauari videbatur, scripse-
rat: non solum carmine, verumetiam soluta
oratione vehemens & acer. Is tum adiderat Tri-
dem Romam. libellum quidem parvulum: sed
mire festivum & inventionis ingeniosae argu-
mento Laicis admodum plausibilem & accep-
tum. Quo sane effecit, ut nihil aequae inuisum esset
Germanis complurimis ac nomen Ro, Curiae
& Curifanorum.

Frias Ro.

*Acta & scripta Lutheri, Anno Domini
M. D. XX.*

*Liber Luthe-
ri ad Nobili-
tatem Germa-
nie.*



Am occasionem nactus Lutherus, cepit scribere Teuthonice
Reformationem quandam, ad
Carolus Quintum iam tunc Cae-
sarem electum, & ad Christianam
Nobilitatem Germaniae, In qua
sane, ut omnium mentes a Rom. Pontifice, &
ab eius Curia ac Iurisdictione alienaret, quam
diligentissime recensuit pompas & abusus Ro.
Curiae, odiosissime traducens quicquid ibi re-
prehensibile vel esset vel saltem videretur: Su-
per addes praeterea calumnias nec leues nec pau-

cas in Ro. Pontifices. Multa in super commemo-
rabat, quæ illi contra Ro. Imperatores aliosque
Principes egissent, quod sererent ex bellis bella
& vbiq; disseminarent inter Reges & Princi-
pes discordias, per quas ipsi suam auerent po-
tentiam: Regibus bellico apparatu sumptuque
exhaustis, de pauperatis, & ad extrema redactis,
Atque vt Cæsarem adhuc iuuenem magis in
Ro. Pontificem omnemque Clerum perfequen-
dum animaret, multis ex scriptura sacra rati-
onibus & argumentis probare satagebat, Cæsaris
gladium in omnes, non modo Laicos sed &
Clericos, liberam habere absque vllō impedi-
mento potestatem Non enim esse nisi fictitiam
inter Laicos Clericosque differentiam, præter
quam in officio, cum per Baptismum omnes cō-
secremur in sacerdotes: adeo, vt vnusquisque,
qui ex Baptismo reperit, possit iactare se iā pres-
byterum, Episcopum & Papam esse: licet non
cuilibet cōueniat, eiusmodi officium exercere.
Inde audacior factus, defectionem à Papa sua-
sit apertissime, dicens. Ideo potestati Papali ne-
quaquam obtemperandum est, sed resistendum
potius, corpore, substantia, ac cunctis quibus
possumus viribus. Euigilemus igitur, ô Chari-
Teuthones, ne rei pariter efficiamur omnium
infelicitium animarum, quæ pereunt per istud
sceleratū ac Diabolicū regimē Romanorū. His
& id genus plurimis, quanquā atrocissime scri-
ptis, prædebat colorē pietatis & salutare no-
mē Iesū, quod singulis paginis in fronte supponebat

C iij

*Baptismus fa-
cit sacerdotes
& Reges my-
stice & spiri-
tualiter, non
realiter & ex-
terno effectu
aut officio.*

Qualis refor- vt lector crederet, omnia illa à spiritu Christi
matio Luth. suggesta esse, & ad optimum tendere finem.
Valer. Max. Primum igitur subiecit in Reformatione illa
Lib. . . Papam & Episcopos gladio Cæsaris. Deinde a
Cap. 1. demit Papæ autoritatem, tum interpretandi scri-
de cul u deorlo pturam sacram, tum indicendi Concilium ge-
Non dubita nerale. Quibus vario & scripturarum & rationū
uerunt sacris furo probatis, cœpit in mores & practicas Ro-
imperia serui- Curix acerrime inuchi: sigillatim taxans omnia
re. Omnia & per calumnias cuncta in maius adaugens.
post religionē Exclamabat igitur, Indignū esse, vt Papa tripli-
ponenda sem- cem gestet coronā, cum summi Reges vnica
per Romana Christi vicarium: Cardinales eius esse inutilem
ciuitas dñ- immò perniciosum populum, qui Italiā & Ger-
est. maniam exugit. ex familia Papæ Centesimam
 partem retinendam, Nonaginta nouem partes
 ex illa abolēdas esse: tollendas Annatas, & men-
 ses papales: abiiciendas Episcoporum confirma-
 tiones, & Archiepiscoporum Pallia. Domum
 Datarii esse lupanar super omnia lupanaria. Pa-
 pæ nihil iuris competere ad regnum Neapolis
 & Sicilia, vim & prædam esse omnia quæ pos-
 sident: Romanam Excommunicationem simul
 cum literis & sigillis in frigidum ducendā bal-
 neum: Ius Canonicum, à prima litera vsque
 ad nouissimam, funditus delendum, præsertim
 vero Decretales, & c. Vbi ergo sensit, eum quo-
 que librū à laicis suis, nō solū æquis animis legi
 sed etiam cum plausu excipi & audiri: factus
 inde audacior, facinus attentauit atque etiam
 perpe-

Exustia
Luth. sacri
Canones &
Decretales
& c.

perpetrauit audacissimum sane, & omnibus retro sæculis inauditum, Quippe sacros canones & sanctorum patrum Decreta, totumque ius pontificiũ simul cũ Bullis Papalibus, literisque & sigillis indulgentiarum, aliorumque Indulgentiarum Papalium, publice damnauit ad ignem & combussit: At de tanto scelere sese iactitans etiam, vt latius euagaretur eius facti fama, libellum adidit. In quo causam exustionis reddere volens, XXX. articulos ex Decretorum volumine collectos, commemorabat, velut absurdos & impios: Quos & per calumniam in deteriorem sensum pertrahens, multis flagellabat improperiis & conuitiis, Ac tandem subiunxit hæc verba. In his & huiusmodi articulis, quorum innumerabiliter plures sunt, omnes tamen eo tendentes, vt Papa sit & Deo & omnibus hominibus superior, & ipse solus nemini mortalium sed ipsi omnes, etiam Deus & Angeli, sint subiecti: Vt Papæ discipuli dicant, Papam esse rem mirabilem, non esse Deum, & non esse hominẽ fortassis Diabolum & Satanam ipsum. Et infra. Summa (inquit) summarum totius iuris Canonici hæc est. Papa est Deus in terris, superior omnibus, cœlestibus, terrenis, spiritualibus & sæcularibus, & omnia Papæ sunt propria, cui nemo audeat dicere, quid facis? At Ambros. Catharinus Italus: vir plane doctiss. qui antea Quinque libris, illius errores & conatus acerrime reprehenderat, in hæc verba illi, tam grauitè sane quã vere, respondit. Vere summa summarũ

Ambrosius Catharinus.

omnium stultitiarum tuarum hæc est, Quia non sunt nisi calumniæ & mendacia manifesta, quibus respondere stultissimum esset. Nam si hæc persuadeas, etiam citra ullam contradictionem turbæ tuæ, nihil profecto tam absonum atque absurdum superest, quod persuadere non possis. Quis enim possit credere, quod in Decretis dicatur, Papam esse supra Deum, aut supra scripturam, aut super omnia cœlestia? Quæ istam crudelissimam blasphemiam possint recipere piæ aures, quod Papatus sit regimē Antichristi? Tot sancti igitur tam probati, in regimine Antichristi præfuere, Gregorius, Leo, atque maiores, pleni scientia & spiritu Dei? O mundum vere positum in maligno, non iam in Papæ personam aut mores malos, sed in officium, Sedem, Maiestatem, à Deo positam ac immobiliter fundatam, serpens malignissimus, venenum effundit & insultat &c. Lutherus itaque popularis aures securus iam, & nobilium quorundam favore subnixus, Rhetorumque & Poëtarum laudibus propugnationibusque confidens, audacissime progressus est ad quælibet facinora. Renouavit suam ad Concilium apellationem a Papa, velut ab Antichristo & abnegationem scripturarum. Magistrum sacri Palatii propter Epitomen æditam, diris insectatus est maledictis et conuitiis, immò et ad arma publice proclamauit. Mihi verò videtur (inquit) si sic pergat furor Romanistarum, nullum reliquum esse remedium, quam ut Imperator, Reges

Audacior indies ac senior factus Lutherus.

Luth. contra Epitomē Sylvestri.

ges et Principes, vi & armis accincti, aggre-
 tur has pestes orbis terrarum, remque iam non
 verbis, sed ferro decernunt. Quid enim lallant
 perditii homines, etiam communi sensu priuati
 quam id quod Antichristus facturum prædici-
 tur? Si fures furca, si latrones gladio, si hæreti-
 cos igne plectimus, Cur non magis hos magi-
 stros perditionis, hos Cardinales, hos papas, &
 totam istam Romanæ Zodomæ colluuiem, quæ
 Ecclesiam Dei sine fine corrumpit omnibus ar-
 mis impetimus, & manus nostras sanguine is-
 torum lauamus? Hæc & id genus multa quàm
 atrocissime decernebat Reus iste in iudices fu-
 os: e quibus Magister sacri Palatii D. legatus: Pa-
 pa supremus erat. Cunque Theologi Louanien-
 ses doctrinali quadam censura aliquot Lutheri
 propositiones librosq; & sermones nominatim
 cõdemnarent, eosque sequuti Colonien-
 ses, cõ-
 similem e didissent cõdemnationem: Lutherus
 mox ita percitus, graui-
 & conuitiis & calumniis. Dicitur (inquit) Euan-
 gelium christi apud Turcas non licere prædica-
 ri. At si istis doctrinalibus damnatoribus, sua fi-
 ducia & tanta arrogantia Bulla constiterit, quæ
 Tyrânis Turcarum poterit ei conferri? Et infra.
 Prima igitur fiducia pronuntiandi Magistris
 nostris, siue veris siue personatis, adimenda est:
 ostendendumque, quantis opus sit firmamen-
 tis, vt credatur iis, qui raro pronunciauerunt
 bene, frequenter autem ac fere semper pronucia-
 uerunt male. Quin cum semel malus, semper

*Doctrinalis
 damnatio cõ-
 tra Luth.
 Luth contra
 Louanien-
 ses.
 et Colonien-
 ses.*

præsumatur malus, iuxta iuris regulam, nunquam, nunquam, in nulla re credendum erit Magistris nostris quibuslibet: Quorum iudiciū constat iam à multis annis fuisse, non modo in constans & præcept: sed & erroneum, hæreticum, temerarium, & cæcum: cui nemo debeat fidere tuto, nisi quem Deus iratus operationibus erroris mandat illudi. In cuius rei fidem adduxit & quædam exempla, nēpe, quod iniuste damnauerint Vuilhelmum Occam, scholasticorum doctorum sine dubio Principē (inquit) et ingeniosissimum: Ioannem Picum, Mirandulanum Comitem: Laurentium Vallensem, quem ait ecclesiæ primitiæ vel reliquam scintillam, vel nouum fomitem: et post hos Ioannem Reuchlin, in quo depræhensos ait Quinquæ Vniuersitatum Theologos, quid sapiant, quid cernant, quid quærant. Atque vt adhuc magis extenuaret illorum autoritatem, in aliis quoque libellis eos sæpe cōuitiis et lædoriis irrit: adiciens alicubi in margin: libri, si quid ineptius dictum videretur, hæc ridicula et à sese inuenta Aduerbia, Louanialiter, Colonialiter, Nostraliter &c. Vt omnem eis eriperet, per contemptum et scurrilia scommata, apud plebem et iuuentutem literarum studiosam et autoritatem, et doctrinæ existimationem: Tametsi Augustæ Louanienses venerabiliter postulasset sibi Iudices. Sed et contra D. Ioannem Eckium, et contra fratrem Augustinū Alueldiū: virum pium et eruditum, Ordini S. Francisci

de

Louanialiter

de obseruãtia, acerbissimos ædidi libellos Teu-
thonice, quibus causam suam populo commen-
datiorem reddebat. In Eckium sane scribens,
hoc vitur initio. Doctorem Eckium Roma re-
diisse, constantibus nunciatur mihi indiciis.
Quorum firmissimum est, quod etsi prius in
Bauaria, Sueuia, Austria, Tractu Rheni, Roma,
Bononia, atque iam etiam in Misnia & Saxonia
talis agnitus ac diffamatus est homo falsus, qui
omnia mēritur & fallit, quæcūque loquitur, scri-
bit, & agit. Quædmodū eius Canonici indo-
cti, & Eckius Dedolatus (Hi duo erant libelli
aduersus Eckium æditi) multi præterea viri gra-
ues demonstrarunt: Nunc tamen voluit prote-
ctionem suam Romanam egregie declarare, ac
decreuit seipsum mendaciis superare. Tales e-
nim homines nunc dat Roma & nullos alios.
Cōtra Adueldium vero sic ait in præfatione. Si
Lipsia tales tulit Gigantes, oportet eam terram
diuitem habere fundū. Ut intelligas vero quid
velim, attende. Syluester, Caietanus, Eckius, E-
mserus, & iam Colonenses atque Louanien-
ses egregia & militaria facinora sua in me ostende-
runt, decus & gloriam consequuti pro merito
suo, Papæ & Indulgentiarum causam sic defen-
derunt aduersum me, ut vellent, eis melius suc-
cessisse. Tandem cogitauerunt nōnulli, aggredi
me, sicut Pharisei aggressi sunt Christum &c.
Papa igitur, Leo X. vir alioqui mitissimus, ut vi-
dit ecclesiam impiis & seditiosis Lutheri scri-
ptis vehementerturbari vndique, diffidiumque

*Papa Leo X
condemnauit
Lutherū per
Bullam.*

in dies magis increfcere, ac illum, reiectis omnibus, quàm liber p̄is, admonitionibus, ſemper in p̄ius proficere, inſurrexit tandem ſerio contra ſuperbiſſimas rebellis Monachi importunitates proponens primum, doctiſſimis quibuſdam Theologis Lutheri ſcripta penſiculatiuſ examina. Deinde vocatis in Conſiſtorium Cardinalibus, eorum fretus conſilio, quando lenitate per legatos & Nuncios nihil effeciſſet, ad rigorem Cenſurę proceſſit: Ea tamen moderatione ut in promulganda ſententia, recenſitis 41. articulis reprobis, libros tantum damnaret: autorem vero librorum ad reſpiſcendum paterne hortaretur. Quem ut antea Romam benigniſſime vocauerat, offerens ei & ſaluum conductum & ſumptus itineris: ita & in Bulla ſua præſigebat ei terminum LX. dierum, ad reuocandum errata, & ruruſ LX. dies adiecit, ad inſinuandũ Sedi Apoſtolicę debitam obedientiam correctionemque erratorum: iterum ſaluum ei offerens pleniſſima fide conductum. Plurimum nanque dolebat pio Pontifici, Germanicam Nationem, à Luthero in rebellionem concitari contra Romanam Eccleſiam, quę illam ſemper p̄ aliis Nationibus imis complexa fuerat viſceribus charitatis: triãſ lato in eam à Gręcis Imperio Romano per Deo dilectum Põtificem, Leonem III. qui Carolum cognomento Magnum, Imperiali corona donauit Romę anno à Chriſti Ieſu natiuitate D. C. CC. I. Priuſquam vero publicatam accepiffet

*Liber Luth.
De captiuitate
Babylonica*

Bullam Leonis X. Lutherus, adeptus, occultis Augustinianorum quorūdam fratrum suorum machinationibus, è Bohemia libros Vuiclephi Angeli, & Hafs Bohemi, rebellium hæreticorum, & Rom. Ecclesiæ hostium, multa ex illis mutuatus est, quæ ad rebellionem suam deseruire videbantur. Adidit igitur librum cōtra Septem Sacramenta, quibus Ecclesia vtitur in salutem, Cui titulum inscripsit. De captiuitate Babylonica Ecclesiæ, præludium Martini Lutheri. Et in eo Bohemos aperte iustificans, Catholicæ autem Ecclesiæ ferocissime insultans, ait. Surgite ergo hic vniuersi adulatores Papæ in vnum, satagite, defendite vos ab impietate, Tyrannide, læsa maiestate Euangelii, iniuria fraterni opprobrii: Qui hæreticos iactatis eos, qui non secundum merum capitis vestri somnium, cōtra tam patentes & potentes scripturas sapiunt. Si vtri sunt hæretici & schismatici nominandi, nō Bohemi, non Græci (quia Euangelis nituntur) sed vos Romani estis hæretici & impii schismatici, qui solo vestro figmēto præsumitis, contra euidentes Dei scripturas. Eluite hæc viri. Et in fine illius libri ita subiunxit. Auditum audio, paratas esse denuo in me Bullas & diras Papisticas quibus ad reuocationem vrgear, aut hæreticus declarer. Quæ si vera sunt, hunc libellum volo partem esse reuocationis meæ futuræ, ne suam Tyrānidem frustra inflatā querantur. Reliquā partem propediem æditurus sum talē, Christo propicio, qualem hæc, us non videt nec au-

au-

audierit Romana Sedes : obediētiam meam abunde testaturus Adicit denique carmen hoc sacrum,

Hostis Herodes impie, Christum venire quid times?

Non arripit mortalia, qui regna dat cœlestia.

Innuens per hoc Lectori, Romanū Pontificem, Herodi similem, propter terrenum Imperium persequi hæreticos, immo Euangelium Christi. Reliquam uero partem, de qua ibi minabatur, ædedit postea, contra Ambros. Catharinum, De uisione Danielis. In qua XII. facies Ro. Ponti. ita appinxit, ut per eas omnem Dei in Ecclesia cultum, in ludibrium uerteret. Post eaq̄am uero uidit æditam contra libros suos Leonis X. Bullam, adeo exarsit mox ira, ut conuitiandi immanitate magis furere, quam scribere uideretur. Ædedit primo libellum, cui titulum hunc dedit. Aduersus Execrabilem Antichristi Bullā. Totus deinde libellus maris inuidabat conuitiis & calumniis, ad excitandam defectionem & seditionem contra Sedem Apostolicā Ego (inquit) quisquis fuerit huius Bullæ autor, eum pro Antichristo habeo. Atque primū protestor, me dissentire toto corde damnationi huius Bullæ, quam & maledicō & execror, uelut hostem sacrilegam & blasphemam Christi filii Dei. Deinde assero fiducia tota spiritus mei, articulos per eam damnatos, asserendosque pronuncio omnibus Christianis, sub pœna æternæ male-

*Libellus
Luth. contra
Bullam Leonis X.*

maledictionis, & Antichristos habendos quicunque Bullæ confenserint, quos & his scriptis pro Ethnicis habeo & deuito. Item. Et non timetis Bullati vos Antichristi, ne saxa & ligna sanguinem sudent, præ horrendissimo hoc spectro impietatis vestræ & blasphemiæ? Vbi es nunc optime Carole Imperator? vbi estis Reges & Principes Christiani? Christo de distis nomen in Baptismo, & has Tartareas voces Antichristi potestis ferre? Item. Et vnde illud, quod compertum habeo, esse videlicet per Trapezitas istos (quod Bancum vocant) definitos in Germania aliquot Cetenarios aureorum, * qui Lutherum cōficerent? His enim rationibus & scripturis hodie pugnat, regnat, triumphat, sancta illa Apostolica Sedes, magistra fidei, & mater Ecclesiarum, iādudum Antichristiana, & bis septies hæretica conuicta, si gladio spiritus, quod est verbum Dei, pugnasset. Id quod non ignorat, Ideo ne quando ad id cogatur periculi, sic furit in orbe Christiano bellis, cædibus, cruoribus, mortibus, vastationibus, omnia inuoluens & perdens. Venerat iam Carolus V. Imp. electus ex Hispaniis, per Oceanum in Flandriam & Brabantiam, terras suas hæreditarias, Imperialia Comitua celebraturus Vuormaciæ, Qui vbi à Nunciis Apostolicis Marino Caracciolo, & Hieronymo Aleandro accepisset, Bullam Papæ Leonis X. contra Lutheri libros editam, memor Titulorum suorum, cum diceretur & esset Rex Ca-

Calumniæ.

** Sicariis.*

*Libri Luth.
iussu Cesaris
combusti.*

tholicus Hispaniarum ac Imperator Romanorum, religiosæ suæ & pietatis & obedientiæ certissima exhibuit indicia, seuerè præcipiendo, vt M. Lutheri libri à Sede Apostolica damnati, publice comburentur. Comburentur igitur per lictores & Carnifices tum in Brabantia vrbibus, tum in ciuitatibus Imperij, Colonia, Moguntia, &c. Lutherus vero ira æstuans, cum non posset gladio, calamitatem iniuriam vindicare statuit. Ne autem eorum & autoritas summorum Capitum, Imperatoris & Imperatoris, populo Lutheri libros, falsos non omnino damnandos & execrables, falsos tem ambiguos & suspectos redderent: Ipse astu serpentino illorum publica & mandata facta dissimulans, totum quod agebatur illorum iussu, ascripsit inuidiæ Theologorum. Qui cum nihil possint contra ipsum scriptum & rationibus, falsis criminationibus Papatum Imperatorumque incitarent, vt illi eum vi & potestate opprimerent, quem iure & causa vindicare non possent. Aedidit igitur Assertionem omnium articulorum suorum, quos Leo X. in Bulla sua damnauerat: Aedidit autem non solum Latine, sed etiam Teuthonice, & tantum quidem superbiæ spiritu inflatus, vt præ se vno non solum scholasticos Doctores omnes contemneret, vt antea quoque solitus fuerat: Verum etiam Ecclesiasticis Patribus Rom. Pontificibus, & Conciliis Generalibus minus credit volebat, quam vni sibi. Adeo impudenter sibi præ

*Assertio
Luthe. pro
XLI. articulis suis.*

præcunctis peritiam scripturarum arrogabat.
 In odium præterea & Papæ & Theologorum,
 adornabat omnia, fœdis criminationibus im-
 properiisque & calumniis aures populi men-
 tēque & oculos lectoris præoccupans, & qui-
 dem crebrius ferociusque Theuthonice quam
 Latine. Hæc enim sunt verba Tituli in Teu-
 thonico. Fundamētum & ratio omniū articu-
 lorū Doctōris Martini Luth. qui per Romanā
 Bullam iniuste dānati sunt. Deinde amarulēris
 suis cōiitiis præmittebat hoc dulce nomen Ie-
 sus, cū salutatione ista. Omnibus bonis Chri-
 stianis, hūc libellū lecturis seu auditoris, gra-
 tiam & pacē à Deo Amen. Postea præfari inci-
 piēs, mox à laude Laicorū benevolentiam, & à
 cæcitate Clericorum fidē & autoritatē sibi ca-
 ptabat, ac diuinæ tribuebat bonitati, quæ ali-
 quos Tyrānos Christianitatis ita excæcasset, ac
 spiritu vertiginis erroribus inuoluisset, ut ī sum-
 mū dedecus suū, atq; ad insignē ac irrecupera-
 bilē defectiōnē, ædiderint Bullam. In qua adeo
 manifestā veritatē dānauerint, ut ipsi pene lapi-
 des ac ligna cōtra ipsos clamēt. Itē. Nō dico (in-
 quit) me prophetā esse, Dico autē eis eo magis
 timendū esse, quod sim propheta, quo plus me
 contemnunt, ac se ipsos æstimant. Si non sum
 propheta, attamen certus sum pro me ipso,
 verbum Dei esse apud me, & nō apud eos. Ego
 enī scripturā pro me habeo, & ipsi solū modo
 doctrinā suā propriā. Hæc & id genus multa in
 prologo, ad feroces Germaniæ populōs, cōtra

D ij

*Iactantia Ie-
 the. de se ipso
 tanquam de
 propheta.*

Qualis Latina est Assertio Luth.

Contra Ecclesiasticos Doctores.

Papam & omnem Clerum concitandos .
 processu verò tanta fuit illi petulantia verborum, tanta insultandi scurrilitas, tantus incitandus fastus, vt vel ad lixas & lotrices ita qui, dedecus foret. In Latino autem libro, doctis ira & Philautia eiusmodi prorsus infan- re videretur, nonnihil modestiæ præ se tul- quamuis reuera immodestissimus esset. Titulus erat. Assertio omnium Articulorum &c. Quæ sequebatur epistola ad Equitem Germanum in qua spiritum iudicij & intelligentiæ scripturatum, adimebat Clericis, attribuebat Laicis. Addebat Deum nos in sensum reprobum tradidisse, vt Clerici veritatem damnemus, quam Laici amplectuntur: & fiant sacerdotes, qui sacerdotes non sint: Laici, qui Laici non sunt. Quare visum est (inquit) deinceps ad vos Laicos, nouum genus Clericorum, scribere &c. Post Epistolâ Prologus bene prolixus. In quo primum protestabatur, se prorsus nullius quicquidlibet sancti patris autoritate cogi velle, nisi quatenus iudicio diuinæ scripturæ fuerit probatus. Addebat post multa, In omnium patrum scriptis multos inueniti errores, sæpe sibi ipsi pugnare, sæpe inuicè dissentire, scripturas totaque quere: Augustinum sæpe solum disputare, nihil diffinire: Hieronymum in commentariis se- re nihil asserere. Cæterùm quod hætenus à Scho- lasticis Doctores ad Ecclesiasticos semper pro- uocauerit, non sic ad eos se prouocasse aiebat, vt omnia eorum vera arbitraretur: sed quod propiora

propiora veritati senserint quàm scholastici, qui fere nihil veri habeant reliquum. In processu autem libri, etiam Concilia superbe ac iniuriose reiiciebat, dicens. Igitur siue Papa siue pars, siue Concilium sic aut sic sentiat, nemini debet esse præiudicium, sed abundet quisque in sensu suo, in eis rebus, quæ necessariae non sunt ad salutem. In libertatem enim vocati sumus.

Luth. in asser. ait 28. & 29.

Acta & Scripta Lutheri Anno Domini
M. D. XXI.



Ntequã verò Cæsar Carolus V. amplissima ac celeberrima Vuor maciæ inchoasset Comitia, Lutherus perquã multos ædidit libros, tum Latinos tum Teuthonicos. in quibus ad aucupandam & eruditionis & pietatis gloriam, gratiãque non solum plebium: sed & Principum promerendam, multa bona tũ exponedo scripturas, tũ adhortãdo & corripiedo homines, pessimis machinationibus suis admiscebat: adeo, vt plarique etiã magnæ autoritatis viri crederet, illum verò agi & zelo virtutis & spiritu Dei, ad tollendos Hypocritarũ abusus, ad reformandos mores & studia Clericorũ: ad erigedos in amorem & cultum Dei animos mortalium. Quales erant libri isti. Expositio Decem præceptorum, De libertate Christiana, Tessaradecas consolatoria, Explanatio orationis Dominicæ, Commentarius in Epistolã Pauli ad Gal. Enarrationes Epistola-

Quidam libri Lutheri in speciem pietatis aditi.

D iij